



JANI RICHARDI DE BRUEYS

ORATIO

PRO JURISPRUDENTIA ROMANA, ETIAM POST PEREUNTIA CETERARUM ARTIUM AC DOCTRINARUM STUDIA, PRISTINUM DECUS DIU TUENTE.

HABITA PUBLICE

DIE XX. OCTOBRIS ANNO MDCCCIII.

QUUM IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI ORDINARIAM JURIS PROFESSIONEM AUSPICARETUR.



DAVENTRIAE,
Apud J. H. DE LANGE, Civitatis et Illustris Athenaei Typographum. MDCCCIV.



CIVITATIS DAVENTRIENSIS

SENATUI AMPLISSIMO;

ILLUSTRIS ATHENAEI

CURATORIBUS GRAVISSIMIS;

QUIQUE SENATUI AB ACTIS SUNT,

VIRIS SPECTATISSIMIS

SACRUM.

JANI RICHARDI DE BRUEYS

ORATIO

PRO JURISPRUDENTIA ROMANA, ETIAM POST PEREUNTIA CETERARUM ARTIUM AC DOCTRINARUM STUDIA, PRISTINUM DECUS DIU TUENTE.

CIVITATIS DAVENTRIENSIS CONSULES, JUDICES, ATHENAEI CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, NOBILISSIMI.

QUI SUPREMO TRANSISALANIAE TRIBUNALI ADSCRIPTI JUSTITIAE VINDICES ESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI.

QUI

QUI UTRIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ESTIS, VIRI HONORATISSIMI.

MAGNIFICE RECTOR CETERIQUE DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES FIDISSIMI, DISSERTISSIMI.

ANATOMIAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE LECTOR EXPERIENTISSIME.

OMNIUM ARTIUM DOCTORES ERUDITISSIMI.

CIVES ET HOSPITES OMNIS ORDINIS, LOCI ET DIGNITATIS ORNATISSIMI.

VOS DENIQUE LECTISSIMI JUVENES, PATRIAE SPES, PARENTUM AMOR, NOSTRA CURA ET VOLUPTAS.

Quan-

Quando res humanas attenta mente confideramus, ubique continuae vicisſitudinis vestigia deprehendimus; nec tantum pristinam populorum gloriam potentiamque, ſed et ipſam culturam, artes ac disciplinas huic vicisſitudini obnoxias fuisſe historia teste intelligimus. Uti enim homines, ſuperata pueritia, perveniunt ad robustam aetatem, deinde vero, acciſo corporum animorumque vigore, ſenectuti ac tandem fato concedunt, ſic et populi, postquam a parvis initiis ad illum, quem potuerint, potentiae et culturae gradum adſcenderint, eandem illam rerum deorſum euntium inclinationem experiuntur. Quid vobis memorem Ægyptum, artium omnisque eruditionis

cunabula. Quid florentisſimas illas Graeciae Civitates, quarum praeter nominum memoriam vix aliquid ſupereſt? unum nobis protulisſe ſufficiat exemplum Reipublicae Romanae, quae, cum a barbara pastorum et exſulum turba cepisſet initium, ac deinde inſigni civium erga patriam amore aucta, et jam confirmatâ, ut ſic loquar, aetate, toti fere terrarum orbi jura poſuisſet, innumerosque in omni doctrinae genere praeſtantisſimos homines effudisſet, tandem tamen communem populorum ſortem minime evaſit; atque ad istam denique prolapſa est barbariem, cujus in ſeneſcentibus populis effectus indomitis libidinibus nationum ferocium, ſed adolescentium et crudae adhuc aetatis, longe deteriores esſe apparet. —

Quoties autem illa imperii Romani tempora intueor, quibus artes ac disciplinae ad interitum vergebant, maximam mihi admirationem movet, ſolam Jurisprudentiam

ce-

ceteris artibus ac disciplinis perdiu superstitem floruisse; quae quidem animadversio non levis momenti, sed sane memoratu digna mihi videtur, quoniam alioquin illae, quas humaniores dicere solemus, disciplinae tam arcto inter se cohaerent vinculo, ut, una quadam oppressa, ceteris eadem ruina immineat.

Cum igitur hodie publice verba faciendi necessitas mihi imposita sit, nec ab hoc loco, neque ab eo, quod auspicor, munere alienum existimavi, si hoc ipsum argumentum coram vobis persequerer; dicam igitur:

Pro Jurisprudentia Romana, etiam post pereuntia ceterarum artium ac doctrinarum studia, pristinum decus diu tuente.

Quum vero AA. HH. meam cogito in dicendo imperitiam et juvenilem aetatem, atque simul amplissimam doctissimorum, quorum oculi in me defixi sunt, virorum concionem

contemplor, oratoris perſonam coram vobis ſuſtinendo adeo me imparem ſentio, ut plane conciderem animo, niſi me erigeret blanda ſpes, fore, ut meam tenuitatem veſtro favore benigne ſublevetis, atque cogitetis, me non gloriae cupiditate motum, ſed officii ratione, ac diei ſolemnitate coactum in hunc locum adſcendisſe.

Romani a primis inde Reipublicae temporibus armis quidem dominationem longe lateque extendere conati ſunt, et mira quadam in regendis ſubactis civitatibus arte excelluerunt, quae quidem ſolertia non minus quam ipſa arma ad orbis terrarum imperium ſtabiliendum contulisſe videtur. Sed illud unum ita habuerunt cordi, ut ad ſextum usque ab U. C. ſeculum omnium fere literarum ſtudia plane negligerent. Notum deinde est, de Rhetoribus etiam SCto fuisſe cautum, ut Praetor animadverteret, Romae ne esſent, ipſumque Catonem

nem monuisse, Graeciam, quandocunque artes suas datura esset, corrupturam omnia. Ubi vero, ut Horatii verbis utar, Graecia capta ferum victorem cepit; et artes intulit agresti Latio, tum etiam illae artes subito ad excelsum perfectionis gradum provectae sunt, atque quamplurimos in vario eruditionis genere eximios viros tulit Roma. Hisce lubenter, quisquis leviter tantum auream, quae dicitur, Romanae Reipublicae aetatem consideret, assentietur. Eadem quippe ista antea invisa Rhetorica ars extremis libertatis temporibus ita floruit, ut, teste Suetonio (*a*), nonnulli ex infima fortuna per eam in ordinem senatorium et ad summos honores processerint, atque etiam praecipui viri, ut Julius Caesar, Pompejus Magnus, quin ipse Augustus, eloquentiae enixe operam darent. Quanta autem ingenio-

 rum

(*a*) De *Claris Rhetoribus*, *cap.* 1.

rum miracula per omne poematum genus tulerit haec aetas, satis superque probant aeterna illa vatum aevi Augustei nomina. Nec etiam Romae defuisse eximios historicos ecquis vestrum AA. literarum non omnino rudis diffitebitur? Quid deinde loquar de artibus mechanicis, architectura, sculpto aere lapideve, quibus Graecos aemulari visi sunt, eandemque gloriam assecuti Romani, profecto! eximia illa et stupenda, quae pro parte supersunt, monumenta, Theatrum Marcelli ac Templum Fortunae Virilis, id abunde probant.

Philosophiam et Philosophos Romanos praedicare si velim, vanitatis plenus vobis videar, quasi Varronis, Ciceronis, aut Senecae laudibus per meam commendationem ornamentum aliquod accedere posse putem. Immortales illi scriptores hominis etiam ac civis officia in omni vitae genere non minus vere, quam eleganter praeceperunt; quamvis enim

enim negari nequeat, eos, ubi de ipsis fundamentis officiorum vel de omnibus, quae Theologiam naturalem animorumve immortalitatem spectant, disputarunt, argumentis parum validis, quin et sibi invicem contrariis saepe uti, immo vero velut spissis tenebris obvoluti animi documenta praebere, vel sic tamen justa excusatio inde quaeritur, quod Philosophi illi lumine vere Divino per Christianam religionem inter homines et populos accenso nondum fuerint collustrati. Haec, inquam, si cogitemus, magis est, ut Romanos Philosophos, inprimis Ciceronem generis illud humani prodigium, vehementer admiremur, quam eorum ignorantiam inculpemus.

Haec omnia ideo dicta velim, ut Romanis Augusti seculo viventibus cultissimos inter populos, quotquot vel deinceps extiterunt, locus non negetur. Sed ecquis vestrum AA.

paul-

paullo humanior longiorem aut pleniorem probationem hic a me postulabit?

Verum tamen hic ipse artium et disciplinarum cultus inter Romanos neutiquam fuit stabilis, sed citis etiam passibus, ubi ad fastigium pervenerat, iterum retro ivit. Intra unius ab Augusti seculo spatium Roma suppeditavit exemplum Civitatis, in qua non tantum virtutis, fidei ac probitatis sola fere superessent nomina, verum ubi disciplinae et artes, ubi sensus et studia populi, tam repente, et tam vehementer corrumperentur, ut ferreorum istorum, quae postea secuta sunt, seculorum semina jam lateant in scriptis hominum aureae illi aetati proximorum. In iis enim, qui supersunt, illorum libris non tantum inclinatae latinitatis, verum etiam arctissime cum ea conjunctae simplicitatis amissae corruptique sensus pulcri vestigia ubique reperimus. *Nobilissimi scriptores ex Antoninorum aetate* (utor verbis magni

magni Ruhnkenii (*a*)) *cum, eloquentia sui seculi non contenti, meliorem quaererent, judicio lapsi in aliud genus magis vitiosum inciderunt.* Unum tamen excipimus Quinctilianum, qui, ut ipse testatur, corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendit. —

Feliciora longe quam reliquarum artium ac disciplinarum hac in parte fuerunt Jurisprudentiae Romanae fata; quippe non tantum, libera Republica, ut tota confirmat juris historia, quam plurimi floruerunt iique maxima eruditione et eloquentia insignes JCti, velut Cato, Scaevolae, Servius Sulpicius multique alii, sed et sub Imperatoribus, nec sub primis modo, verum etiam Hadriani, Commodi et Caracallae temporibus, et ad ipsos usque Gordianos, adeoque diu post re-

(*a*) In *Praefatione ad Appulei Metamorphosin.*

liquarum disciplinarum corruptelam, haud pauci vixerunt JCti, qui sapientia ac doctrina pristinos aequarent, vel etiam superarent, neque ipsa sermonis elegantia aut simplicitate ullo modo iis cederent; ut vehementer dubites, quem cui praeferendum putes, quum modus ipse dicendi adeo ubique sui similis sit in Pandectis et ceteris, quae ad nos pervenerunt, JCtorum Fragmentis, ut haec potius unius ejusdemque viri opus videantur, quam scripta hominum, qui a se invicem pluribus etiam seculis distent. Quamvis igitur plerique eorum ac principes, ut Paullus, Papinianus et Ulpianus, jam inclinata plane, quin et corrupta latinitate floruerint, multi tamen eruditi sunt, qui hoc nativum, simplex, et semper sui simile dicendi genus ita laudent atque commendent, ut illos JCtos auream prope latinitatis aetatem elegantia et verborum delectu reddidisse affirmare non dubitent,

quin

quin etiam sibi persuadeant, linguam latinam, etsi cetera ejus monumenta omnino interiissent, potuisse tamen vel ex solis Pandectis Justinianeis splendide restitui.

Quamvis denique post Gordianorum tempora Jurisprudentia communi labe fuerit oppressa, ipso tamen Justiniani aevo vixerunt JCti cum veteribus quidem illis non comparandi, sed quorum tamen indefesso et admirabili, licet non ab omni parte felici, labori Corporis Juris nostri dispositionem debemus. —

Quum nobiscum reputemus AA., Romanos literarum studia demum excolere coepisse post debellatam Carthaginem, ceterosque populos potentes imperii hostes, postquam igitur divitiae non otium tantum atque culturam, sed luxuriem etiam et morum corruptionem intulissent, adeoque fatum extremum liberae Reipublicae jam instaret; haec, inquam, si cogitemus, non est profecto quod miremur, bonarum

literarum interitum earum florem repente excepisse. Licet enim vera esse videatur observatio, populos eodem aevo, quo ad insignem culturae gradum pervenerunt, fere semper a veteri simplicitate ac probitate jam descivisse, non minus tamen vos mecum opinaturos existimo, ipsam morum corruptionem, quaeque inde fluunt vitia, honestas artes ac disciplinas pessumdare; haec igitur ipsa morum corruptio, quum incredibili celeritate omnes civium classes Romae invaserit, eadem illa labe omnes disciplinae affici debuerunt. — Quae cum ita sint, majorem nobis admirationem movere debet, solam Jurisprudentiam veterem dignitatem tamdiu conservasse, et communem cladem evasisse.

Caussae vero, quae id effecerint, quarumque diligentiorem contemplationem jam a me expectatis AA. ita comparatae videntur,

ut

ut partim in jurisprudentia universe spectata positae sint, partim in ipsis Romanorum moribus ac disciplina. Utriusque generis praecipuas proponere conabor.

Quicumque civilis societatis naturam intueatur, facile mecum fatebitur, non tantum ipsius imperii, sed et singulorum civium felicitatem maxima pro parte proficisci a bonis legibus. Quid enim populos juvat gloria atque potentia, nisi ipsius civitatis tranquillitas legibus sit confirmata? Quid singulis corporis integritas, quid industria, quid divitiae prosunt, nisi haec omnia sint sub legum tutela? quum igitur bonum publicum non tantum postulet, ut in quacumque bene constituta civitate adsit legum civilium Codex, verum ut ipsae illae leges sint certae ac stabiles, et nisi gravissimas ob causas mutentur, vel, ut JCti verbis utar, ut nihil novi constituatur, cujus

literarum interitum earum florem repente excepisse. Licet enim vera esse videatur observatio, populos eodem aevo, quo ad insignem culturae gradum pervenerunt, fere semper a veteri simplicitate ac probitate jam descivisse, non minus tamen vos mecum opinaturos existimo, ipsam morum corruptionem, quaeque inde fluunt vitia, honestas artes ac disciplinas pessumdare; haec igitur ipsa morum corruptio, quum incredibili celeritate omnes civium classes Romae invaserit, eadem illa labe omnes disciplinae affici debuerunt. — Quae cum ita sint, majorem nobis admirationem movere debet, solam Jurisprudentiam veterem dignitatem tamdiu conservasse, et communem cladem evasisse.

Caussae vero, quae id effecerint, quarumque diligentiorem contemplationem jam a me expectatis AA. ita comparatae videntur, ut

ut partim in jurisprudentia universe spectata positae sint, partim in ipsis Romanorum moribus ac disciplina. Utriusque generis praecipuas proponere conabor.

Quicumque civilis societatis naturam intueatur, facile mecum fatebitur, non tantum ipsius imperii, sed et singulorum civium felicitatem maxima pro parte proficisci a bonis legibus. Quid enim populos juvat gloria atque potentia, nisi ipsius civitatis tranquillitas legibus sit confirmata? Quid singulis corporis integritas, quid industria, quid divitiae prosunt, nisi haec omnia sint sub legum tutela? quum igitur bonum publicum non tantum postulet, ut in quacumque bene constituta civitate adsit legum civilium Codex, verum ut ipsae illae leges sint certae ac stabiles, et nisi gravissimas ob causas mutentur, vel, ut JCti verbis utar, ut nihil novi constituatur, cujus

non evidens sit utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum fuit. Hinc etiam ubique juris disciplina auctoritate publica atque sanctione fuit munita, nec diversis ac fluctuantibus singulorum hominum opinionibus mansit obnoxia. — Haec vero cum ita sint et esse debeant, jam porro mecum colligetis AA. Jurisprudentiam longe solidiori niti fundamento, quam artes illas ac disciplinas, quae, nulla sanctione publica confirmatae, a sensu et vagis hominum opinionibus unice pendent: has enim, cum primum sensus ille communis sit corruptus, ac cives gustum pulcri amiserint, eadem ista corruptela contaminari necesse est, quum juris disciplinam nemo convellere valeat, nisi qui eodem conatu ipsius societatis fundamenta evertat. Haec igitur, quam memoravi, caussa Jurisprudentiam ab injuriis temporum tueri solet. Ea vero ratio, quamvis ad omnium populorum Jurisprudentiam, possit

sit aptari, vel maximam tamen vim ad civilem sapientiam inter Romanos tuendam procul dubio habuit. Nulli enim populo magis erat persuasum, in legum civilium stabilitate atque cultu validissimos imperii nervos ac publicae felicitatis praesidium esse positum. Ipse Julius Caesar post innumerabiles pugnas, incredibiles victorias atque triumphos, nihil tamen Ciceroni (*a*) egisse videbatur, nisi Rempublicam ipsam consiliis suis atque institutis stabilivisset. Deinde non minus ad tuendam populorum Jurisprudentiam, et omne novitatis studium ab ea arcendum profuisse semper videtur summa quaedam vetustatis reverentia, quae cum omnes ritus, tum cum illis ritibus conjunctas opiniones fortissime tueri solet.

Hujus rei veritatem antiqui pariter ac recentioris aevi historia satis superque confirmat.

Quot-

(*a*) *Or. pro Marcello* Cap. 9.

Quotquot enim ſunt vel fuere populi, hos omnes opinionum ac rituum receptorum adeo videmus tenaces, ut ipſi tyranni, licet capitibus et fortunis hominum impune illudant, jus tamen civile, quod ex vetustis moribus, vel etiam erroribus, atque damnoſis ſuperſtitionibus originem habuit, mutare et tollere non valeant. Non adeo diffido vestrae rerum humanarum ſcientiae AA. ut haec omnia exemplis confirmare, aut ipſum illud aevum, quod vivimus, ea, quae ipſi vidimus, quorumque etiam pars fuimus, in memoriam vestram revocare neceſſe habeam. Si vero quis ſuperiorum temporum exempla animo velit recolere, cogitationem conferat in pugnas illas judiciarias, ſive duella, quibus omnes cauſſae tam civiles, quam criminum, finiebantur, neglectis probationibus justis et culta Jurisprudentia dignis.

Attamen barbara iſta inſtituta, cum ridiculo quip-

quippe illo (quod Graecis Romanisque incognitum barbarum ipsum barbaro nomine appellare liceat) puncto honoris, gentibus origine Germanis altisſime infixo, conjuncta, tam firmas egerant radices, ut acerbae vel Ludovici XIV. Galliarum regis, vel aliorum principum leges ea vincere non valuerint; atque adeo in hodiernum usque diem, inter mediam etiam ſanioris Philoſophiae lucem, horrida illa conſuetudo neutiquam potuerit deleri. Neminem porro latet, tantum abfuisſe, ut inquiſitiones in artis Magicae doctores vel discipulos iis adhaerentes, in daemoniacos ſimilesque, postquam felicioris philoſophiae lumen Europae populos illuſtrasſet, depulſis veterum ſuperſtitionum tenebris, ſtatim cesſarint, ut in ipſa nostra patria, quae procul dubio melioris culturae initia ante reliquos Europae populos recepit, ſub finem ſeculi XVI. propter ficta ejusmodi crimina homi-

mines ultimo supplicio adfectos fuisse memoriae proditum inveniamus (a). Nonne hodierna Jurisprudentia et nostra et aliarum gentium ita, uti dixi, vetustatis observantissima mansit, ut in omnibus tribunalibus et legitimis actibus usus linguae, rituum atque formularum, quae caeteroquin ex usu communi hominum jam diu recesserunt, adhuc supersit? Nonne hinc repetendum est, quod quamplurimae serventur leges, tum aliae, tum praesertim de criminibus latae, quae nostris temporibus non admodum convenire videantur, quas tamen per laxiorem interpretationem vel etiam dispensationem ad hoc, quod vivimus aevum accommodare satius visum fuit, quam per leges novas abrogare? Quamnam vero AA. hujus rei caussam esse putatis, nisi ipsam illam, neque, ut existimo, inutilem eorum, quae a Ma-

(a) Vid. inter alios *Schrassert*, *Observ. Pract. Obs.* 454.

Majoribus ſunt conſtituta, reverentiam? — Haec autem omnia ſi ad Jurisprudentiam Romanam accommodemus, cauſſa etiam praecipua apparebit, cur illa quoque per multa ſecula ſtatum ſuum tueri potuerit. Ita enim Juris disciplina Romae erat compoſita, ut omnia, quae vel in foro, vel extra judicium agerentur, certis formulis, a quarum accurata obſervatione litium ſortes penderent, esſent comprehenſa: huc pertinent ſtipulationes, judiciorum formulae, legis actiones, ſimiliaque. Ipſa igitur haec ſuperſtitioſa formularum obſervantia juris disciplinam, a majoribus acceptam, ſervare debuit inter cives, ritus ſuos civiles et verborum conceptiones, tanquam ſancta carmina, venerari doctos. Haec adeo vera ſunt AA., ut ipſe ſermo latinus *vetera* cum bonis permisceat, *nova* eodem loco habeat, quo mala et publice damnoſa.

Deinde vero quum ad Romanorum mores

animum convertamus haecce consideratio alias easque gravissimas nobis suppeditabit caussas, cur Jurisprudentia prae caeteris disciplinis tamdiu intacta floruerit. Primo enim prudentissimum illud Romuli institutum Patronatus, cujus origo atque vis argutissimam sapit politicam, effecit, ut non nisi nobiles ac patricii Jurisprudentiae operam darent, atque deinde sapientissima Numae Pompilii, qui inter summos antiquitatis viros merito locum tuetur, instituta justitiae cultum, inter gentem adhuc semibarbaram, quam maxime excitarunt et confirmarunt; effecerunt nimirum, ut principes ac nobilissimi Romanorum viri juris peritiam non tantum, tanquam boni civis ornamentum sed ut necessariam artem excolerent, ita ut Romae turpe esset viro patricio ac nobili jus civitatis, in qua versaretur, ignorare. Quas ob caussas fieri vix potuit, ut immortalis ille peritissimorum optimorumque JCtorum ordo un-

unquam deficeret. Neque necesse habeo praedicare magna merita Scaevolarum, Ruforum, Papiniani, non tantum summorum JCtorum, sed et civium optimorum, quos jam diu aliorum praeconia immortalitati consecrarunt. Illud unum in eorum laudem hic dixisse sufficiat, fuisse omnes fere JCtos illos viros nobiles ac non minus simplicitate et ingenuitate, quam alta sapientia atque doctrina praestabiles, a pulvere illo scholastico, a nugis istis atque cavillationibus, quae plebeja ingenia contaminare solent, quaeque adeo plerasque disciplinas inquinavere, longissime remotos. Fuerunt quidem, ut inter Philosophos, ita et inter nostri ordinis homines diversae Sectae, veluti Proculeanorum ac Sabinianorum, sed hae tamen ipsae, licet opinionum diversitate distractae, veritatem longe magis amabant, quam scholae suae placita, atque sic ingenia, studia, quin et ipsas dissensiones suas ad commune

bonum referebant. Ipse Papinianus non erubuit errorem ingenue agnoscere, et sententiam, antea rejectam, amplecti: *nobis*, inquit (a) *aliquando placebat, sed in contrarium me vocat Sabini sententia.* Nec Papinianus tantum, sed et omnes JCti laudabili et vere ingenua verecundia atque modestia se commendant, quoties enim ab aliorum sententiis discedunt, non quasi ex tripode loquuntur, at, *vereor*, inquiunt, *ut possit ita esse: magis est, ut existimem:* quaeque similes sunt loquendi formae. Sic igitur locuti sunt, sic scripserunt, ut homines honoratos et nobiles decet, in maledicta et vulgares iras nunquam erumpentes. Quod exemplum utinam aliae eruditorum scholae semper fuissent imitatae!

Ex dictis ergo intelligitur nullam unquam fuisse Rempublicam, in qua tot tantique JCti flo-

(a) In *L. 6. ff. de serv. export.*

floruerint, nec vanam esse laudem Ulpiani, eos Justitiae Sacerdotes, veram non simulatam Philosophiam affectantes, appellantis (*a*). Equidem jure affirmare videor excellentia illa ingenia JCtorum, continuo deinceps aliis succedentium, ipsam juris disciplinam ab irrumpente superstitione ac barbarie diutissime vindicasse.

Si vero AA. JCti Romani quamplurimum ad civilem sapientiam conservandam contulerint, non minus etiam ipsi illi Romanae Jurisprudentiae caussae insunt, cur prae caeteris disciplinis tamdiu salva manserit. Quamvis toties decantatas Juris Romani laudes, denuo hic repetere minime velim, neminem vestrum tamen aegre laturum confido, si lucem aliquam et probationem illius, quod tracto, argumenti inde etiam sumam. — Hic statim audire mihi videor accusationes eorum, qui barbari-

ei,

(*a*) In *L.* 1. *ff. de Just. et Jur.*

ei, crudelitatis et ſummae injuſtitiae notam Jurisprudentiae Romanae inurant. Quid enim? an famoſa corporum ſectio, rigida iſta et tyrannica poteſtas patrum, an plurimae XII. Tabb. Leges laudari posſunt tanquam populi exculti inſtituta atque monumenta? fateor AA., ſed de plerisque, quae huc referuntur, multum litigari noviſtis, alia autem non hominum ſed temporum fuere vitia. Ita quippe comparata eſt natura humana, ut nationes rudes et vagae, ac liberrimae vitae adhuc memores, non niſi aegre admodum illi libertati vel licentiae limites poni ſinant. Haec ergo cauſſa eſt, cur antiquitatis Legislatores non ſemel aut repente illa domeſtici imperii jura, per diuturnos mores probata, compeſcere, et ad ſummum imperium transferre potuerint; ſed paulatim magis, et poſtquam artes ingenuae mores jam emolliverant, ac feritatem cum barbarie conjunctam domuerant. Itaque ego

ego non priscum illud et horridum jus Regium, aut Leges XII. Tabb. laudandas mihi ſumo, ſed jurisprudentiam per multorum ſeculorum culturam a maximis ingeniis ita perfectam, ut totius humani juris formam et exemplar prodat, utque in vita communi vix obvia venire poſſit quaestio, quam a JCtis Romanis tractatam ac deciſam non reperiamus. Nec enim ſunt illa prudentium ſcripta oracula quaedam, quorum ratio non reddatur, neque leges ſola jubentis voluntate nixae, ſed ratiocinationes, ex justis principiis deductae atque erutae. Verum hic Pandectarum laudem complecti malo verbis magni Pothierii, quam meis.
„ Ex hisce, inquit (*a*), JCtorum libris conſurrexit augustisſimum illud Justitiae Templum,
„ Pandectae Justinianeae. Hic univerſum jus
„ illud nobis exhibetur, quod ſapientisſimi

 „ mor-

(*a*) In *Praefat. in Pandect. Justin. part. III. cap.* 1. *art. II.* §. 3. *not.* 1.

„ mortalium ex anticipatis in mente nostra de
„ bono et aequo notionibus tam ſedulo in-
„ vestigarunt; quod ex immutabilibus ſempi-
„ ternisque justi et variorum vitae officiorum
„ regulis velut e purisſimo fonte derivarunt.
„ Hic ſumma ſubtilitate et acri admodum ju-
„ dicio elicita reperias ex primaevis juris prin-
„ cipiis conſequentia, quibus in infinita, quae
„ quotidie occurrit commerciorum et negotio-
„ rum et factorum multitudine ac varietate
„ justum ab iniquo ſecernatur; hic ſcitam ac
„ dexteram interpretationis normam; hic de-
„ nique quidquid in diverſis humanae ſocie-
„ tatis necesſitatibus temporumque momentis,
„ ad ſuum cuique tribuendum pertinet; the-
„ ſauros amplisſimos, quibus, homo inſtructus
„ locupletatusque, non ſe ſolum et ſuos, ſed
„ amicos, cives, patriam, ſed ipſam homi-
„ num communitatem, regat, tueatur atque
„ defendat."

Quae

Quae profecto magnifica praeconia non praeter merita Pandectas extollere, facilius mecum existimabitis AA. si accedat judicium immortalis Leibnitzii (*a*), tantum subtilitatis Juri Romano inesse profitentis; ut post geometrarum scripta, nihil sit, quod cum JCtorum responsis comparari possit, sive rationum acumen, sive dicendi nervos et vim spectemus.

Sic, ut uno tantum utar exemplo, *Titulus Digestorum de Legibus, SCtis et longa consuetudine:* tam egregiis planis simul ac benignis interpretationis regulis est refertus, ut, quisquis eas observaverit, et aurea dicta Celsi, Paulli et Modestini tota mente complectatur: *Leges scire, non hoc esse, verba earum tenere sed vim atque potestatem: incivile esse nisi tota lege inspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare vel respondere: minime esse*

(*a*) *Oper. Tom. IV. part. III. pag.* 254. 267.

mutanda, quae certam interpretationem semper habuerunt; denique: *nullam juris rationem aut aequitatis benignitatem pati, ut quae salubriter pro hominum utilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem:* ut inquam, quisquis, hasce interpretandi regulas sequatur, nunquam falsa quadam aequitatis vel humanitatis specie abductus, leges in detrimentum totius civitatis vacillare sit passurus, neque contra, in singulorum perniciem ita in verbis sit haesurus, ut non leges propter homines latae habeantur, verum homines ad legum formulas sint componendi. —

Sed ad aliud quaeso argumentum animos vestros advertite AA., cui equidem magnam vim inesse existimo, cum ad commendandam Juris Romani praestantiam, tum etiam ad rationem reddendam, cur ea opinionum fluctuationi et corruptelae temporum minus fuerit obnoxia.

Quip-

Quippe haec ars nostra imbris more de coelo non fuit lapſa, ut cum Noodtio loquar, ſed ad Reipublicae incrementa, ac mutatos civium mores accommodata manſit. Post elapſa ſcilicet ab U. C. tria circiter ſecula latae fuerunt Leges XII. Tabb., quae, licet rudibus adhuc moribus congruentes, omnium tamen, Cicerone judice, philoſophorum bibliothecas auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate ſuperarunt.

At vero quid aliud laudatisſimae illae leges continebant, quam fundamenta ac veluti ſemina Juris Romani? quibus per continuam et admirabilem interpetationem excultis, prodiêre Legis Actiones, Edicta Magiſtratuum, Reſponſa prudentum; atque ſic tandem ex triplici veluti ſerie ac nexu, principiorum juris, regularum aequitatis, nec non remediorum, quibus aequitas cum jure, jus cum aequitate conjungeretur, prodiit pulcerrimum illud jurisprudentiae ſyſtema, novem circiter

ter seculorum labore atque meditationibus expolitum, non tantum propter maximam praestantiam sed etiam ob antiquitatis reverentiam commendatum.

Sed quid ego hanc jurisprudentiam laudare et meis verbis extollere coner, quae se ipsa ita commendavit, ut, cumprimum profligata esset illa, quae tenebricosae noctis instar totam oppressit Europam, barbaries, ab omnibus populis ita fuerit revocata, ut in judiciis, in foro, in responsis et in ipsis regum dynastarumque controversiis ad hodiernum usque diem regnare non desierit, atque, ut credo et confido, donec erunt excultae civitates, regnare non sit desitura. —

Cum igitur talis sit jurisprudentia Romana non mirum profecto est, si suis ipsa, ut ita dicam, viribus prae ceteris disciplinis sese defenderit, ac non nisi per summam barbariem corrumpi, suaque sede pelli potuerit.

Dein-

Deinde si dicendi genus, quo usi sunt JCti, et ipsa eorum scripta intueamur, alia inde peti poterit caussa, cur ea temporum labe minus fuerint affecta. Ipsa quippe illa dicendi ratio, quae nostrae arti convenit, per temporum hominumque studia minus aut excoli, aut etiam corrumpi potest. Sunt enim JCtorum scripta vel commentarii ad Edicta Magistratuum, aut ad aliorum JCtorum opera, vel inprimis responsa ad quaestiones propositas; haec vero componi quidem possunt oratione pura, correcta ac simplici, at sermonis majestatem eximiamve quamdam elegantiam vix admittunt; hanc igitur ob caussam non tam facile obnoxia fuere lasciviae illius flosculis, quibus ab ipso Seneca, teste Quinctiliano, eloquentia Romana corrumpi fuit coepta. —

Verum enim vero AA. postremo loco neque unum illud silentio est praetermittendum, quod

quod ceteris non minorem vim habuisse videtur ad juris disciplinam inter Romanos tuendam: summum illum favorem dico, quo Caesares Romani JCtos semper prosecuti fuerunt; quotquot enim sub Imperatoribus doctrinae laude floruerunt JCti semper ad honorifica munera evecti sunt. Praefecturae Praetorio caeteraeque dignitates iis patebant, ut exempla Papiniani, Paulli, Ulpiani aliorumque, qui maximis honoribus functi sunt, nos docent. Hinc igitur factum est, ut ordo JCtorum ipsaque eorum ars principum tutela florens, se ipsa diutissime integram sustinuerit. In quamplurimis, quae in Codice extant, Rescriptis Imperatores JCtos *suos* vocant; sic Divi Fratres Volusium Maecianum, clarissimum sui aevi JCtum, amicum appellare haud dedignati sunt. Atque adeo post Gordianorum tempora, quae propter occasum Jurisprudentiae Romanae vulgo notantur, Imperatores tamen

men magni illius favoris documenta dare haud cessarunt, ut vel una docet lex Leonis et Anthemii (a): *Advocati*, inquiunt, *qui dirimunt ambigua fata caussarum, suaeque defensionis viribus in rebus saepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si praeliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, et thoracibus nituntur, sed etiam advocatos; militant namque caussarum patroni, qui gloriosae vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, et posteros defendunt.* Verba profecto magnifica, et alto istius aevi cothurno tumentia! Ecquis tamen du-

(a) L. 14. C. de *Adv. diverf. judicior.*

bitaverit, quin tales tantique fautores ac patroni, quales ipſos Imperatores ars nostra nacta est, ipſam ejusque cultores ab hominum temporumque injuria defendere potuerint. —

Sic igitur AA. HH. praecipuas, quae, meo arbitratu, Romanorum Jurisprudentiam prae ceteris artibus ac disciplinis tamdiu intactam conſervarunt, cauſas vobis propoſui. Quamplurima profecto in hac uberrima disſerendi materia, iis, quae dixi, addi posſint; ſed quum hora fugax ad hujus Orationis finem properare me jubeat, hic vela contraham, atque ad ea, quae hujus diei ſolemnitas, quaeque grati animi et laetitiae ſenſus a me exigunt, procedam.

* * *

Ad

Ad Vos igitur me converto Civitatis et Illustris Athenaei Moderatores! Viri Amplissimi! Placuit Vobis Jurisprudentiae docendae provinciam, quam Vir Clarisſimus Henricus Guilielmus Tydeman per unius anni ſpatium egregie ornaverat, jam vero ad amplificandam, quae Franequerae est, Academiam profectus, vacuam fecerat, mihi honorifice deferre; hanc igitur provinciam uti laeta mente hodie publice ſuscipio, ita ſimul Vobis pro inſigni vestra erga me benevolentia gratias ago, habeoque majores, omni ope elaboraturus, ut industria et asſiduitate mea vestrae expectationi ſatisfiat, et honorificum illud, quod de me meisque ſtudiis fecistis judicium, ita comprobetur, ne per me quid detrimenti capiat Illustre hoc Athenaeum. Vos interim, quos Supremus rerum omnium Gubernator in Civitatis et Athenaei ſalutem quam diutisſime ſalvos et incolumes esſe jubeat, Viri Amplisſimi!

rogo atque oro, ut me ulterius quoque vestro complecti ac ſuſtentare favore benigne velitis.

Neque vero ſine ſummo laetitiae ſenſu Vos compellare poſſim, Profeſſores Clariſſimi! Collegae jam conjunctiſſimi! Inter illas enim, quas novum, quod ineo vitae curriculum proſpectui meo offert jucunditates, haud minimam reputo, me tales, quales Vos experior, nactum eſſe Collegas, qui me hospitem Vobisque plane incognitum ſumma humanitate recepiſtis, receptum in uſum conſuetudinemque veſtram admiſiſtis, multisque benevolentiae documentis devinxiſtis; itaque in praeſenti pro veſtris erga me meritis gratiſſimum animum verbis profiteor, dum blandam ſpem foveo, fore, ut in poſterum re ipſa id efficere valeam. A Vobis autem Viri Clariſſimi! enixe peto, ut, qua me hactenus proſecuti eſtis, veſtram porro experiar benevolentiam. Equidem ob-

ſer-

ſervantiam, quam vel aetas vestra vel doctrina moresque a me postulant, Vobis ſancte polliceor, fidemque et amicitiam offero pectore ab omni ſimulatione alieno. —

Te vero propter unam eandemque, qua utimur fortuna, nominatim mihi compellandum exiſtimo, Clarisſime Sluiter! Si praeter commune ac novum officii vinculum ipſa aetas et vivendi ratio nos vocarint ad vitae conſuetudinem, jam ſimilitudo morum, conſenſus atque ſocietas conſiliorum et voluntatum nos inter conjugarunt amicitiam, quae tanta cum voluptate connectitur, ut jucunda illa, quae dulci amicitiae inſunt, vitae ſolatia, quibus me alibi orbatum ſentio doleoque, hic mihi denuo reddita gaudeam; illud igitur quantum posſim enitar, ut hanc amicitiam diligenter ſancteque ſervem. Mutua porro ope, mutua cura conjunctisque viribus, ſpartam nobis traditam ſuſtineamus, ac quantum in nobis est or-

ornemus; ſic quidem illud nos ſociabit animorum foedus, quod nobis jucundum pariter et utile, Athenaeo fructuoſum erit. —

Ad Vos denique mea ſe convertit oratio Literarum ſtudioſi juvenes! ad Vos inprimis, qui Jurisprudentiae operam navatis, Commilitones carisſimi! Quidquid in me est, ſi quid est ſtudii, laboris, ingenii, id omne vobis debetur, ac dabitur etiam; vobis quippe mei labores, mea ſtudia dicata erunt: ad vestram doctrinae cupiditatem quantum posſim explendam; me ſemper paratum invenietis; quod quo magis, cum in ſcholis, tum vero familiari conſuetudine fiat, liberrimus ad me cuique vestrum patebit aditus. Nec me tantum ſtudiorum duce, ſed deinde, ſi velitis, utamini amico, cui vestris commodis, vestris utilitatibus inſervire, ſummae ſit voluptati, quique laetisſimos laboris fructus inde ſperem, ſi vestra ſtudia vobis aliquando decori

et

et ornamento, Patriae vero in rebus dubiis ſubſidio ſint.

Quod ſuperest,

Faxit Deus O. M. ut, remotis, quibus premimur, calamitatibus, ad nos redeat pax alma, ut inter tranquillitatis ac ſtudiorum delicias in florente Patria floreat haec Civitas, inque florente Civitate floreat hoc Athenaeum. —

DIXI.









